

VERSION LATINE

Le début de la guerre civile, vu par un poète épique

Exiit omnes

quippe moras Caesar, uindictaeque actus amore
Gallica proiecit, ciuilia sustulit arma.
Alpibus aeriis, ubi Graio numine¹ pulsae
5 descendunt rupes et se patiuntur adiri,
est locus Herculeis aris sacer : hunc niue dura
claudit hiemps canoque ad sidera uertice tollit.
Caelum illinc cecidisse putes : non solis adulti
mansuescit radiis, non uerni temporis aura,
10 sed glacie concreta rigent hiemisque pruinis ;
totum ferre potest umeris minitantibus orbem.
Haec ubi calcauit Caesar iuga milite laeto
optauitque locum, summo de uertice montis
Hesperiae campos late prospexit, et ambas
15 intentans cum uoce manus ad sidera dixit :
« Iuppiter omnipotens, et tu, Saturnia tellus,
armis laeta meis olimque onerata triumphis,
testor, ad has acies inuitum arcessere Martem,
inuitas me ferre manus. Sed uulnere cogor,
20 pulsus ab urbe mea, dum Rhenum sanguine tingo,
dum Gallos iterum Capitolia nostra petentes
Alpibus excludo, uincendo certior exul.
Sanguine Germano sexagintaque triumphis
esse nocens coepi. Quamquam quos gloria terret,
25 aut qui sunt qui bella uentent ? Mercedibus emptae
ac uiles operae, quorum est mea Roma nouerca.
At reor, haud impune, nec hanc sine uindice dextram
uinciet ignauus. Victores ite furentes,
ite mei comites, et causam dicite ferro.
30 Namque omnes unum crimen uocat, omnibus una
impendet clades.

PETRONE, *Satiricon*

¹ Selon certains mythes, c'était Héraclès qui avait le premier franchi les Alpes.